

est, schola medica sic præcipiente. Nam licet brutis animantibus ob analogam partium structuram, texturam, similemque fere totius corporis mixtionem eadem insit ad morbos dispositio: ea tamen rarius in morbos incidere, experientia docet, & B. STAHLIUS peculiari probavit dissertatione. Interim certum est, quod ea bruta, quæ molliter & delicatule tractantur, non prorsus sint a morbis immunia. Atque hoc respectu, quod scilicet ex consideratione etiam brutorum sibi notio comparari possit eorum, quæ notionem sanitatis & morbi ingrediuntur: bruta subiecto morborum, morbi autem illorum objecto medicinæ annumerari possent. Sed cum sola hominis contemplatio huic negotio sufficiat, hominisque conservandi major ratio habenda; idque eo magis, cum ars longa sit, & vita brevis: hinc cura brutorum artis veterinariæ magistris relicta, longe excellentius quid constituimus, circa quod tota medicina versatur, hominis nempe sanitatem tuendam, & si læsa fuerit, iterum restituendam, cujus rei solida cognitio indefessum exposcit studium. Cur cæterum homo brutis frequentius ægrotet, & quo sensu HIPPOCRATIS assertum de homine in paragrapho allegatum capiendum sit? de eo confer. NENTERVS in *Patholog.* pag. 67. & 68. & CASP. REJES. *Camp. Elys. juc.* qu. 99.

§. II.

Solent a Medicis *causæ morborum* dividi in *materiales & immateriales*. Illuc omne id materiale referunt, ex quo intelligi potest, cur homo æger dicatur; huc autem, ubi ejusmodi quid materialis non adest, corpus tamen morbo corripitur.

Obvia hæc est in scriptis Medicorum inter causas morborum differentia. Quod causas morborum materiales dentur, in aprico est. An vero immateriales etiam statui queant, a nonnullis forsan dubitari posset, quas tamen Medici agnoscunt, edocti experientia, quod cum ira, terrore, aliove pathemate

te